

Ipsius localem non daturum licentiam ad comparandum ad solas litteras familiares, debet illum citare iuridice sequenti modo.

*Frater N. commissarius iudex delegatus Fr. N. etc. Salutem a Domino.* — « Cum nobis ab A. R. P. ministro provinciali delegata sit commissio in causa, quam ex lectura litterarum patentium delegationis nobis factæ (quarum exemplar authenticum manu nostra ac notarii nostri firmatum, ac sigillo conventus N., ubi de facto moramur, munitum hic accludimus) cognoscere poterit; persona vero reverentiæ vestræ NN. nobis in causa hac sit necessaria, harum serie in virtute obedientiæ eidem præcipimus, ut assumpto socio per superiorem localem assignando, ad nos quamprimum se conferat. Sub eodem præcepto etiam superiori injungimus, ut reverentiam vestram cum socio religioso ad nos dimittat. Datæ die, mense, anno, loco, etc. » — Fr. NN. commissarius, etc.

Si superior, vel subditus prævideretur inobediens, possent citationi tres dilationis termini inseri, ita, ut si intra illos non obediunt, pœnis contumacis, aut rebellis subiaceant.

Cæterum, si testis est præsens, per quemvis ad locum tribunalis vocari potest; qui tamen, si recusaret venire, iuridice citari deberet, modo supra dicto, mutatis mutandis.

370. *Si accusator testes in libello nondum denominavit, jubetur ante examen, ut illos producat: et praxis.* — Porro, si accusator testes in libello nondum denominavit, jubetur illos adducere seu denominare speciali decreto actis inserendo, v. g.

« Quandoquidem accusator nullos adhuc denominavit aut produxit testes, vocavit ipsum N. iudex, etc., et mandavit, ut eos produceret (si vero accusator est absens, aut alias videtur consultum, ut in scriptis mittatur illi decretum, tunc loco vocavit dicitur): Ideo N. iudex præsentis decreto mandat eidem, ut illos producat. Acta sunt hæc anno, mense, die, loco. » — Ego N. minister provincialis. Ego N. actuarius.

371. *Potest autem dein simul et semel omnes vel unum post alium nominare et producere.* — Accusator autem habito decreto potest testes vel simul, vel unum post alterum deno-

minare, si timet, ne simul nominati subornentur, terreantur, etc., et quidquid facit, notat actuarius, v. g.

« Accusator autem percepto mandato respondit, se denominaturum quidem testes, verum ex justo motivo non omnes simul, sed successive unum post alterum examinatum prout etiam primum denominavit NN. Postea incipit examen testium modo, quo sequitur. »

372. *Forma et praxis examinandi testem, et proponendi eidem interrogatoria generalia.*

« Vocatus igitur coram A. R. P. provinciali NN. comparuit Fr. Homobonus N. testis a parte productus, qui, delato sibi juramento de dicenda veritate, quod tacto pectore more sacerdotali, vel tactis sacris paginis (si est laicus) præmissa adhortatione debita deposuit, ut sequitur. »

*Testis primus Homobonus. Ad interrogatoria generalia.* — « 1. Interrogatus: Quomodo vocetur? Respondit: Vocor Fr. Homobonus. »

Notandum, quod quamvis depositiones seu responsa testium debeant scribi idiomate materno, et consequenter apud nos Germanico, tamen hic exprimantur latine, ex eo, quia non quivis lector linguam Germanicam intelligit.

« 2. Interrogatus: Cujus ætatis existat? Respondit: Ago annum quadragesimum. »

« 3. Interrogatus: Ubinam existat de familia, et quandiu? Respondit: Sum per 4 annos in hoc conventu N. »

« 4. Interrogatus: Cujus conditionis, vel officii existat? Resp.: Sum sacristanus in hoc conventu. »

« 5. Interrogatus: An sciat, vel imaginari sibi possit causam vocationis suæ huc? Resp.: Non. »

Si responderet, se scire vel imaginari sibi posse, debet iudex mandare, ut edicat causam, qua manifestata si præbet ansam ulterius interrogandi, an forsitan non fuerit subornatus? debet iudex id facere; si autem talis ansa non præbetur, pergat reliqua generalia interrogare.

« 6. Interrogatus: An noscat fr. Mævium? »

« 7. Unde aut quomodo noscat ipsum? »

« 8. Interrogatus: An non sit sanguine junctus fr. Titio? Resp.: Sum quidem, sed in quinto gradu. »

« 9. Interrogatus: An non habeat inimicitiam cum fr. Mævio? Resp.: Non. »

« 10. Interrogatus: An non ab aliquo instructus, requisitus, aut rogatus fuerit, quid, vel quomodo respondere debeat? Resp.: Venit quidem ad me fr. Titius N. et rogavit me, ut testimonium perhiberem de, etc., addidit tamen, se nihil desiderare, quam ut nudam veritatem deponam, prout coram Deo et in conscientia invenio. »

« 11. Interrogatus: An non convenerint testes inter se, quid, et quomodo respondere vellent? Resp.: Collocuti quidem sumus de hac re, sed quivis dixerat, se depositurum, prout coram Deo, et in conscientia notitiam habet. »

373. *Fiunt interrogatoria generalia, ut iudex a quo et ad quem cognoscere valeat qualitates, et habilitatem rei.* — Hæc sunt potiora generalia interrogatoria, quæ proponi solent ad videndum, an non testis sit inhabilis, aut exceptionem patiens: Et quamvis non nulla jam sint nota iudici de teste, v. g. nomen, ætas, officium, conventus ipsius, etc. tamen desuper interrogari debet, ut etiam iudex ad quem cognoscat qualitates testium casu, quo forsitan ad ipsum appellare contingeret.

Cæterum licet plura alia interrogatoria generalia formari possent, v. g. An hoc anno saltem semel communicaverit? An non fuerit excommunicatus? An nunquam processatus? etc. tamen si de his aperte constat, iis omissis subjungitur ultimo interrogatorio ad reliqua generalia recte.

374. *Finitis generalibus proponuntur specialia.* — Finitis interrogatoriis generalibus proponuntur testi a iudice specialia, præmissa rubrica, super quo articulo examinandus erit: ubi notandum, quod quamvis plures doctores generice moneant, testes non statim debere interrogari nude, vel crude de reo, vel illius delictis in specie, sed prius in genere et a longe, ac per ambages, donec successive veniatur ad ipsum delictum, de cuius etiam circumstantiis loci, ac temporis postea indagandum erit.

375. *In quibus non est necesse per multas ambages, et a longe testes interrogare, si fit pro-*

*cessus ad præcedentem accusationem, vel denuntiationem judicialem per inquisitionem specialem.* — Verum doctores loqui videntur in casu, quo processus instituitur per viam inquisitionis generalis, aut mixtæ, vel specialis ex mero officio, non autem quando instituitur processus et inquisitio specialis per viam accusationis, vel denuntiationis judicialis, oblato libello rite articulo. Cum enim in his duabus viis delictum, et delinquens judicialiter jam sint manifestata, et iudex non procedat ex mero officio, sed ad instantiam partis, quæ debet satisfactionem præstare, si in probationem deficiat, nulla videtur necessitas prius in genere, ac per ambages, et a longe interrogare de delicto, et delinquente, præsertim si libellus articulatus, seu cum articulis, et denominatione testium offeratur juxta formam supra n. 304, specificatam; siquidem communis tribunalium praxis habet, ut testes denominati super articulis oblatis, non per ambages et a longe, sed finitis interrogatoriis generalibus immediate et directe interrogentur, an sciant articulum, qui eis prælegitur, esse verum: dein interrogentur de causa scientiæ, circumstantiis, contestibus, etc.

376. Accedit, quod inquisitio specialis in hoc essentialiter differat a generali et mixta, quod in his generaliter tantum, in illa vero specialiter indagetur de delicto et delinquente; consequenter necesse non est, ut inquisitione speciali ad instantiam partis accusantis, vel judicialiter denuntiantis instituta, testes de delicto et delinquente in genere, et per ambages interrogentur, sed possunt de iisdem statim in specie juxta tenorem accusationis, vel denuntiationis interrogari, præsertim si libellus vere articulatus offeratur, dummodo vitentur suggestiva interrogatoria.

377. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, hoc ipsum esse interrogatorium suggestivum, si testes statim in specie interrogentur de delicto et delinquente, v. g. An fr. Mævius vulneraverit fr. Justum? l. 1, § *Questionem. ff. de Questionem.* Resp. distinguendo antecedens, est interrogatorium suggestivum in inquisitione generali et mixta, vel speciali ex mero officio, conceditur, in speciali autem ad instantiam partis cum denominatione testium, instituta, negatur; hoc ipso enim, quod in hac jam præsupponantur tot indicia, aut probationis media, ut probari valeat, interrogatorium de delicto et delinquente in



specie fieri potest, præsertim si libellus articulatus cum designatione testium offertur.

378. *Reus tamem per ambages interrogatur; et quare?* — Dices, reus etiam in inquisitione speciali non statim in specie et directe, sed a longe et per ambages interrogatur de delicto; ergo nec testis. Resp. negando. Conseq. et paritatem. Disparitas est; quia, cum de publica agitur vindicta, prudenter timeatur, quod, nisi is a longe interrogetur, et capiatur in sermone, crimen negaturus, et veritatem celaturus sit; secus in teste, cum enim de causa ipsius non agitur, præsumendum est, eum propter alios perjuriam in publico iudicio non commissurum, sed veritatem absque hoc, quod a longe, et per ambages inducat, edicturum.

379. *Potest etiam testem per ambages et a longe interrogare, si ei ita videatur.* — Si tamen placet iudici, et ex aliqua ratione expediens ei videtur, etiam testem per ambages et a longe interrogare, liberrime id facere poterit. Cujusmodi interrogatorum formulas super diversis materiis abunde habes apud Ludovicum de Ameno in formulario criminali, sect. IV.

380. *Forma et praxis proponendi interrogatoria specialia.* — Cæterum conformiter dictis post interrogatoria generalia iudex statim descendit ad specialia: Et quidem si libellus articulatus fuit oblati, ut supra numer. 354, prælegitur prius testi articulus, et interrogatur, an sciat articulum esse verum? Actuarius autem cuncta inserit actis modo sequenti.

*Ad specialia super articulo 2.* — « 1. Interrogatur: An sciat articulum esse verum? Respondit: Scio, articulum esse verum.

» 2. Interrogat.: In causa scientiæ? Resp.: Quia ipsemet eam vidi apud illum.

» 3. Interrogat.: Quando, et qua occasione eam viderit apud illum? Resp.: Ante viginti circiter dies, perdideram enim meam clavem ad cellam, et absente N. P. superiore locali eam aperire, et intrare non valens lamentabar coram fr. Mævio: dixit ille ad me: Sis sine cura, ego jam aperiam; arreptaque ex sacco clave regia cellam meam aperuit.

» 4. Interrogat. de contestibus? Resp. F. Justus etiam præsens erat.

» Et quoniam idem testis super articulo 4 et 7 fuerat designatus, super iisdem etiam statim examinatus illum voluit A. R. P. Provincialis. Et quidem, »

*Super articulo 4.* — « 1. Interrogatus, a sciat articulum esse verum? Resp. Articulum esse verum quoad omnes circumstantias. »

Notandum, quod quando unus articulus habet plura membra, prout habet quartus iste supra n. 334 specificatus (dicit enim, quod nocturno tempore, janua interiori jam clausa, prope altare beatæ Virginis Mariæ in templo hinc inde circumspiciens, 5 Maii fuerit visus), debet iudex testi non tantum prælegere articulum, sed ipsum monere, ut ad omnia bene attendat; imo expedit, ut de membro ad membrum interroget, ne quid ex inadvertentiâ affirmetur: quamvis enim non sit necesse, ut singula interrogatoria de membris articuli primantur in actis.

« 2. Interrogatus de causa scientiæ? Resp. Vidi ipsum meis oculis.

» 3. Interrogat. de contestibus? Resp. Eram solus; quia dum ex officio volebam visitare ecclesiam, an nemo ibi lateret, deprehendi fr. Mævium: audivi quidem esse etiam aliquem supra in oratorio, sed ignoro quis fuerit, et an etiam viderit fr. Mævium.

» 4. Interrogat. Quid dixerit ad fr. Mævium ita deprehensum? Resp. Interrogavi eum, quid ipse hic tam sero faceret? ad quod ille: habui ex certa causa confidentiam ad Beatam Virginem Mariam. »

*Super articulo 5.* — « 1. Interrogatus, an sciat articulum esse verum? Resp. Utique scio.

» 2. Interrogatus, in causa scientiæ? Resp. Quia ipsemet deprehendi ipsum.

» 3. Interrogat. De contestibus? Resp. Eram solus. »

*Super articulo 7.* — « 1. Interrogatus: An sciat articulum esse verum? Resp. Articulus est verus.

» 2. Interrogat. In causa scientiæ? Resp. Vidi ipsemet tam calices nostros, quam monilia Beatæ Virginis Mariæ apud memoratam Bibianam: dum enim ante tres septimanas sacristiæ linea quædam paramenta lavanda portarem, et hypocaustum intrarem, erat cista illius semiaperta, in qua vidi duos calices involutos, et partem monilium non satis coopertorum.

» 3. Interrogat. Quomodo scire, et dicere

possit, fuisse nostros calices, et monilia, cum non plene viderit? Resp. Hoc colligo inde, partim quia ipsa utpote paupercula calices, et monilia vix habere non potest: partim quia est valde suspecta cum F. Mævio, cum quo solo illam solam tempore importuno in illa distincta capella N. deprehendi: partim quia, ut audio, ex literis fr. Mævii ad eam missis, desumitur.

» 4. Interrogat. An, et quid propterea locutus sit ad Bibianam? Resp. Dissimulavi, cogitans, quod prius vellem indicare superiori.

» 5. Interrogat. Num indicaverit superiori, et quid ille resolverit? Resp. Omnino indicavi ei, qui audita narratione mandavit mihi, ut illico iterum accederem, et imprimis bonis verbis, dein minis conarer, ut fateatur, unde habeat, et injuste accepta restituat. Obedivi, sed nil effeci, illa enim cuncta negabat, dicens, nec calices, nec monilia in suam domum venisse; ad quod dum ego reposui; tamen ego vidi illos in cista; illa statim aperuit cistam, et permisit me omnia lustrare, sed nihil amplius inveni, absconderat enim alibi.

» 6. Interrogat. de contestibus? Resp. Fr. Benedictus semper erat mecum, quando fui apud puellam Bibianam.

» 7. Interrogat. An nihil aliud haberet dicere ad propositum? Resp. Non. »

381. *Qualiter claudatur cujusvis testis examen et quid fiat, dum clauditur?* — Quando examen alicujus testis finitur, debet actuarius testi prælegere factam suam depositionem, ad hoc ut addere, minuere, vel mutare valeat, si ex majori reflexione id forsitan necesse judicaret. Casu quo autem in uno vel alio quid minuit, addit, vel immutat, debet id actuarius inserere actis. Depositionem dein suam sibi prælectam jubetur testis subscribere, et silentium de depositis in examine servare. Hinc universalis formula conclusionis in quocunque examine testis est sequens.

« Quibus habitis si et in quantum acceptatis, ad mandatum A. R. P. provincialis prælegi memoratam testi suam depositionem: cui cum nec addere, nec demere quid voluisset, jussus est subscribere (si testis est laicus scripturæ ignarus, facit loco subscriptionis manu propria signum crucis, et loco jussus est subscribere, dicitur, jussus

est manu propria formare signum crucis, utpote litterarum ignarus) addito formali obedientiæ præcepto, servandi decretum de depositis in hoc examine. Acta sunt hæc die, mense, auno, loco. » — Ego Fr. Homobonus deposui, ut supra. Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

« Si vero addere, vel demere, aut mutare quid vult; etiam notatur in actis, et post illa verba prælegi testi suam depositionem ponitur, cum audisset, dixit, in illo loco, ubi sonat, etc., addatur, vel dematur vel ponatur, etc., recordor enim, quod fuerit ita, etc. dein fit subscriptio. »

382. *Quid, et quomodo agendum, si alicujus testis examen non totaliter absolvitur, sed interrumpi debet?* — Quod si examen unius testis ob interveniens negotium aut impedimentum, vel temporis circumstantiam interrumpitur, ita ut absolvi nequeat, debet in actis notari sequenti modo.

« Quoniam ob horæ tarditatem, seu ob urgent negotium A. R. P. provincialis examen præfati testis complete expedire non potuit, decrevit illud ad interim terminare animo tamen id ipsum opportuno tempore iterum reassumendi, et perficiendi; testis vero prælecto sibi examine, acceptisque, si, et in quantum ipsius depositionibus subscribere jussus, et imposito silentio dimissus fuit, salvo jure, etc. Acta sunt hæc, mense, anno, loco. » — Ego Fr. N. testis affirmo ut supra. Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

383. *Modus iterum reassumendi interruptum examen unius testis.* — Quando postea iterum reassumitur, et continuatur examen ejusdem testis prius interruptum, sequenti modo registratur in actis.

« Die, mense, anno, loco. A. R. P. provincialis volens continuare examen testis N. ex causa præfata interruptum, vocari illum coram se fecit, et denuo obtulit juramentum de dicenda veritate, quod ille deposuit tacto, etc. ac ulterius respondit, ut sequitur.

» 8. Interrogatus: etc. »

384. *Completo examine unius, vocantur, et examinantur alii, ut primus. Examen testis secundi.* — Si vero examen unius testis



completur, fit clausula uti supra n. 381, et vocatur, examinaturque alius testis sequenti modo.

« Testis secundus Fr. Justus N. Quia hic testis ob vulnus ad constitutum locum tribunalis venire non poterat, A. R. P. provincialis me socio accessit illum in infirmaria decumbentem, qui deposito juramento more laicis consueto deposuit, ut sequitur. »

*Ad generalia.* — « 1. Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Justus.

» 2. Interrog. cujus ætatis, conditionis et officii? Resp. Annum 45, jam complevi, ex obedientia ago officium sartoris.

» 3. Interrog. etc. ut supra de generalibus interrogatoriis. »

*Ad specialia super articulo 2.* — « 1. Interrogatus, an sciat articulum esse verum? Resp. Ita, scio articulum esse verum.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Vidi apud Fr. Mævium propriis oculis talem clavem.

» 3. Interrog. Quando, et ubi viderit illum? Resp. Fr. Homobonus aliquando perdidit clavem suam ad cellam, quod audiens Fr. Mævius dixit ad illum, se velle statim aperire, uti et fecit per clavem regiam e sacco extractam.

» 4. Interrog. Quando id contigerit? Resp. Diei determinatæ non amplius recorder, bene tamen scio, in hoc mense contigisse.

» 5. Interrog. de contestibus? Resp. Intellectum.

» 6. Interrog. quare non indicaverit superiori? Resp. Non libenter incoepi turbationem in conventu, quæ secuta fuisset, ex correctione et confusione Fr. Mævii, utpote hominis perditum, et vix non desperati.

» Et quia idem testis super aliis quoque articulis, octavo nempe, nono, et decimo fuerat denominatus, super iisdem etiam statim examinavit illum A. R. P. provincialis. Et quidem. »

*Super articulo 8.* — « 1. Interrogatus, an sciat articulum esse verum? Resp. Scio certo articulum esse verum.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Vidi monilia et calices in ipsius cella.

» 3. Interrog. quomodo, et qua occasione eas videre potuerit? Resp. Aliquando afferens Fr. Mævio habitum, subito, et nihil

mali cogitans intravi cellam, ubi vidi quod præfatos calices et monilia imponere vellet magnæ cuidam scatulæ: Ego terrefactus interrogavi ipsum, amore Dei, unde haberet ipse hæc? Ipse vero magis territus et confusus statim ad genua provolutus rogavit me per omnia, ne ipsum patefacerem, facteri se, quod a diabolo deceptus ea sit furatus, hodie vero ad noctem aliis dormientibus iterum certo restituere vellet. Ego correctione fraterna, quantum potui, ei data discessi, expectans, an promissum esset servaturus. Et, cum viderem, illum promisso non stetisse, accessi illum altera die, et monui eum serio, ut illico redderet furtive ablata, ni vellet, ut statim adirem superiorem. Ad quod ille; scito, Fr. Juste, quod ego ista jam miserim alio, et omnia non tantum negaturus, sed etiam contra te tanquam calumniatorem acturus sim, si me apud superiorem manifestas, quia nihil potes probare.

» 4. Interrog. quando id contigerit? Resp. Primum ante 14 dies.

» 5. Interrog. An indicavit superiori locali? Resp. Non statim, sed tunc primum, quando inaudivi quod et alii dicta monilia et calices viderint apud puellam Bibianam, cum qua est suspectus Fr. Mævius, et quod essent interceptæ litteræ idem annuentes.

» 6. Interrog. Quid fecerit dein superior? Resp. Custodiæ causa inclusit illum in carcerem.

» 7. Interrog. de contestibus? Resp. Fui solus. »

*Super articulo 9.* — « 1. Interrogatus, an sciat articulum esse verum? Resp. Utique scio, esse verum.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Superior deputaverat me, ut subinde viderem an non Fr. Mævius tentaret effringere carceres; hinc quia aliquando noctu diu audieram strepitum, surrexi, et accessi locum carceris, quem januis contractis vidi apertum, et Fr. Mævium actu currentem contra me. Ego apprehendi ipsum et clamavi pro auxilio, ille autem fortior prostravit me in terram, et quia dimittere illum nolui, scilicet ibidem jacentem aliquoties gravissime me percussit in capite, et semimortuum relinquens cucurrit ad portam, quam aperuit, utique clave sua regia.

» 3. Interrog. Quando hoc contigerit? Resp. Ante 13 dies.

» 4. Interrog. de contestibus? Resp. Eram solus, quando res contigit, venerunt quidem postea alii, sed nimis sero. »

*Super articulo 10.* — « 1. Interrogatus. An sciat articulum esse verum? Resp. Proh dolor! non tantum scio, sed etiam sentio esse verum.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Intellectum supra.

» 3. Interrog. de contestibus? Resp. Intellectum supra.

» 4. Interrogatus, an nil aliud habeat, quod diceret? Resp. Nihil aliud habeo, quam quod amore Dei rogem pro ipso, ne propter me puniatur: ego enim ex corde eidem ignosco, paratus etiam pro ipso sustinere pœnam, quæ eidem dictabitur.

» Quibus habitis, ac si, et in quantum acceptatis, an mandatum A. R. P. provincialis prælegi testi suam depositionem, cui cum nil addere, nec demere vellet, jussus est manu propria formare hic in actis signum crucis, utpote litterarum ignarus, et imposito formali obedientiæ præcepto servandi secretum de depositis in examine: demissus est. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

» Testem in ordine denominationis tertium et quartum, quia sæculares erant, servitialis scilicet noster N. et faber serrarius N. A. R. P. provincialis examinare distulit, ut si forsitan eis non indigeret, illos omnino omittere posset; hinc assumpsit testem in ordine denominationis quidem quintum, in ordine examinis vero tertium. »

385. *Testes sæculares pro possibili vitare oportet.* — Notandum hic, debere judicem regularem ad vitanda scandala, et parcendum famæ religionis pro possibili, superedere a testibus sæcularibus, ita, ut quandiu spes superest, posse absque illis sufficientia haberi ad reum constituendum, et veritatem eruendam ab eis abstinere debeat: quamvis enim sæculares potius ædificari, quam scandalizari deberent videntes, quod delicta etsi rarissima in religione commissa, tam exacte inquirantur, et tam severe puniantur; nihilominus quæ ab uno statim ad alios argumentari solent, pro possibili abscondere expedit causas hujusmodi a sæcularibus.

386. *Examen tertii testis.*

*Testis tertius Fr. Benedictus. Ad generalia.* — « 1. Interrogatus. Quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Benedictus.

» 2. Interrog. Cujus ætatis, conditionis, et officii existat? Resp. 50 annum jam complevi, sum simplex confessarius in hoc conventu aliud officium non habens.

» 3. Interrog. etc. Fiunt reliqua generalia ut supra n. 372. »

*Ad specialia super articulo 4.* — « 1. Interrogatus, an sciat, articulum esse verum quoad omnes circumstantias? Resp. ita, excepta illa circumstantia, qua dicit articulus Fr. Mævium hinc inde circumspexisse, an nemo eum observaret, quia ad hoc non attendi.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Quia dum illo tempore eram superius in oratorio visitans venerabile, et peragens meam exiguum devotionem, vidi illum, ut habet articulus.

» 3. Interrog. de contestibus? Resp. Postquam Fr. Mævius aliquo tempore erat prope altare B. M. V. venit sacristanus Fr. Homobonus, et allocutus est eum: quid autem dixerit, non bene percepi. »

*Super articulo 7.* — « 1. Interrogatus, an sciat articulum esse verum? Resp. Quamvis non physice, tamen moraliter scio esse verum.

» 2. Interrog. in causa scientiæ? Inde scio, quia, dum nuper cum fr. Homobono iveram ad puellam Bibianam, vidi duos calices linteo involutos, ac penes illos monilia secundum partem.

» 3. Interrog. Ubi erant illi calices? Resp. Erant in cista semiaperta.

» 4. Interrog. Quomodo scire potuit, esse calices, cum fuerint involuti? Resp. Ex figura facile cognovi.

» 5. Interrog. Quomodo scire potest, esse nostros calices? Resp. Ideo præcipue, quia dum postea ex mandato superioris eam iterum accessimus ad disponendum, ut nobis mysterium patefaceret, et injuste accepta restitueret, ipsa negavit, quod aliquando calicem habuerit et monilia, prout etiam a cista removit. Profecto si non nostri, sed alii calices fuissent, causam ita negandi non habuisset.

» 6. Interrog. De contestibus? Resp. Intellectum.

» 7. Interrog. An nil aliud haberet dicere? Resp. Non.



» Quibus habitis, si et in quantum acceptatis, etc., fit clausula ut supra num. 381. — Ego fr. Benedictus affirmo ut supra. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

« Arrepto jam ab subscribendum calamo dixit: Audiui, quod etiam suspectas litteras scripserit puellæ Bibianæ, sed quia apud acta jam erant ulterius desuper non interrogavit sed subscribere testem fecit A. R. P. provincialis. — Ego fr. Benedictus N., testis deposui, ut supra. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

387. *Examen quarti testis.*

*Testis quartus fr. Benignus. Ad generalia.* — « 1. Interrog. quomodo vocetur? etc., ponuntur generalia uti supra num. 372. »

*Ad specialia. Super articulo 10.* — « 1. Interrogatus, an sciat articulum esse verum? Resp. Certo quidem non scio (quia non interfui) tamen non dubito esse verum.

» 2. Interrog. in causa scientiæ, vel opinionis? Resp. Audiui in mea cella prius strepitum, dein fr. Justum, alta voce clamantem: Accurrite, juvate, fr. Mævius vult aufugere; quo audito statim cucurri et fr. Justum graviter vulneratum penes carceres jacentem inveni, qui mihi narravit eum a fr. Mævio, quem aufugientem apprehendit, et dimittere noluit, ita esse vulneratum, cui utique in istis circumstantiis credendum est.

» 3. Interrog. de contestibus? Resp. Post me plures accurrebant, quibus eadem narravit fr. Justus.

» 4. Interrog. An nil aliud haberet dicere? Resp. Non; sed laudo divina judicia, quod iste infelix homo ad propriam suam salutem tandem in manus iudicis venerit, qui ob tepidam suam vitam et alia mala signa alias plane in periculo perditionis æternæ fuisset, præsertim, quia correctiones et monita superiorum hand amplius curabat.

» Quibus habitis si et in quantum acceptatis et fit clausula et subscriptio ut supra n. 381. — Ego fr. Benignus ita deposui. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

388. *Examen quinti testis interruptum.*

*Testis quintus fr. Fidelis. Ad generalia.* — « 1. Interrog. Quomodo vocetur, etc., ut supra num. 372. »

389. *Interrumpitur, et iterum assumitur examen testis quinti.*

*Ad specialia. Super articulo undecimo.* —

« 1. Interrogatus. An sciat articulum esse verum? Resp. Utique scio.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Dum actu inciperet testis narrare causam scientiæ, venit janitor, et dixit adesse excellentissimum dominum N., et velle in ardua causa loqui A. R. P. provinciali, qui proinde decrevit examen testis interim terminare, animo tamen illud opportuno tempore iterum reassumendi, testis vero prælecto sibi examine, acceptisque si et in quantum ejus depositionibus subscribere, et silentium de depositis servare jussus est. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. Fidelis ita deposui. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

390. *Examen sexti testis.*

« Eodem die et loco A. R. P. provincialis volens continuare examen fr. Fidelis, prius ex præfata causa interruptum, vocare illum coram se fecit, qui præstito iterum juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

» 3. Interrogatus igitur de novo in causa scientiæ? Resp. Postquam superior localis a viro fide digno certificatus, et plene informatus, quod fr. Mævius in domo Bibianæ, et quidem in certo loco lateret, animo, data occasione, nescio quorsum fugiendi, misit me, et fr. Angelum ad præfatum domum data prius instructione, quomodo nos habere debeamus, ut fr. Mævium capere, et ad monasterium reducere possimus: Obedientiæ et instructioni conformiter accessimus domum memoratam, et habito prius discursu indifferenti manifestavimus Bibianæ nostram commissionem; illa indignata negavit, et pernegavit omnia, jurans, quod jam per 14 dies non viderit fr. Mævium. Nos e contra petivimus, ut aperiret nobis cameram ubi fr. Mævius esse dicebatur: renuit illa; nos minitabamur potestatem sæcularem; ipsa vero magis indignata, et plena furia jussit nos e domo sua discedere. Nos minime attendentes ejus furiam, adhuc instabamus, ut illico nobis aperiret, alias essemus vim illaturi, timebamus enim ne Mævius cuncta audiens e fenestra pro siliret. Et cum verbis nil efficeremus, fr. Angelus januam vi effregit; qua effracta fr. Mævium sub lectica

absconditum invenimus, quem optimis verbis rogavi et monui, ut ad evitanda scandala ultro nobiscum ad monasterium se conferret, alias vim certe experturus. In discursu fatebatur, quod per 8 dies hic jam hæreret absconditus, exspectans occasionem Romam ad generalem se conferendi.

» 4. Interrog. De contestibus? Resp. Intellectum, fr. Angelus erat præsens, et Bibiana.

» 5. Interrog. An nihil aliud haberet dicere? Resp. Non.

» Quibus habitis, etc. — Ego fr. Fidelis confirmo ut supra. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

*Testis sextus fr. Angelus. Ad generalia.* — « 1. Interrogatus, quomodo vocetur, etc., ut supra num. 372. »

*Ad specialia super articulo 11.* — « 1. Interrogatus. An sciat articulum esse verum? Resp. Omnino.

» 2. Interrog. In causa scientiæ? Resp. Audiui ex ore ipsius, quando fr. Fidelis, et ego ipsum e domo Bibianæ ad monasterium reduximus.

» 3. Interrog. De contestibus? Resp. Intellectum.

» 4. Interrog. An quid aliud haberet dicere? Resp. Non; nam qualiter peractæ sint, dum fr. Mævium deprehendimus, jam notum suppono.

» Quibus habitis, etc., fit clausula, ut supra n. 381. — Ego fr. Angelus ita deposui. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

## DE RECOGNITIONE ET COMPARATIONE LITTERARUM, SEU SCRIPTURÆ.

391. *Decretum, et modi recognoscendi litteras, seu scripturas.* — « Auditis præfatis testibus A. R. P. minister provincialis volens pergere ad recognitionem et comparationem litterarum fr. Mævii interceptarum juxta articulum 6 tum misit ad cellam dicti fr. Mævii, et curavit sibi afferri illa alias scripturas manu illius certo exaratas, si quæ ibidem invenirentur. Et inventi atque allati sunt ad A. R. P. provincialem aliquot quaterniones, qui manu fr. Mævii dicebantur scripti, quibus habitis curavit sibi afferri varias diversarum manuum epistolas et scripturas, ad videndum, an testes ex illis scripturam Mævii

eisdem commixtam noscerent. Ad quem finem decrevit vocare, et examinare testes manum et characterem fr. Mævii bene agnoscetes. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. »

392. *Modus examinandi testes super recognitione litterarum.*

« Vocatus igitur comparuit fr. Gervasius N., et deposito juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur. »

*Ad generalia.* — « 1. Interrogatus. Quomodo vocetur? Resp. Vocor fr. Gervasius N. » 2. Interrog., etc. Fiunt interrogatoria generalia, ut supra num. 372. »

*Ad specialia.* — « 1. Interrogatus. An cognoscat fr. Mævium. Resp. Optime cognosco.

» 2. Interrog. An habeant, vel habuerint familiaritatem et correspondentiam ad invicem? Resp. Ante hac bene, sed per duos annos non amplius.

» 3. Interrog. An scripserint etiam ad invicem, et quoties? Resp. Ita, valde sæpe ad invicem scripsimus.

» 4. Interrog. An bene cognoscat characterem et manum fr. Mævii? Resp. Perfecte cognosco.

» 5. Interrog. An habeat adhuc aliquas epistolas ab eo? Resp. Jam omnes combussi.

» Si respondet affirmative jubetur illas afferre, et quod fit, inseritur actis v. g.

» Jussus dein attulit duas epistolas a fr. Mævio acceptas, quarum prima data monachii die incipit, ponatur initium epistolæ: altera Landshuti die, incipit, etc.

» 6. Interrog. An inter alias plures scripturas cognosceret manum, et characterem Mævii? Resp. Inter mille cognoscerem.

» Tunc A. R. P. provincialis varias scripturas una cum scriptura fr. Mævii posuit ante testem, ita tamen, ut nullibi alicujus subscriptio pateret: et dixit ei, ut seligeret modo scripturam fr. Mævii; qui non multum deliberans extraxit unum folium dicens: Hæc est scriptura Mævii, prout etiam erat.

» Quibus habitis, si et in quantum acceptatis, etc., fit clausula, et subscriptio ut supra n. 381. — Ego fr. Gervasius affirmo, ut supra. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »